




②

Ante
1

JOHANNIS WOLFGANGI TRIER
DE
OECONOMIA JURIS
ORATIO,

HABITA,
CUM MUNUS INTERPRETANDARUM INSTITU-
TIONUM JURIS
IN ACADEMIA VIADRINA
ORDIRETUR,
D. XIV. JULII MDCCXXIV.



FRANCOFURTI AD VIADRUM,
Litteris JOH. CHRISTOPHORI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.



Natura, AUDITORES, proportionem atque ordinem rebus quibusque accommodatum & ipsa ubique fere servat, & servari ab hominibus in omni ratione vitæ præcipit. Etsi vero proverbii loco est, pretio unionum nihil eo decedere, quod incuriosius conferti sint: hoc tamen quam intempestive proferatur cum ad alia negotia humana, tum præcipue ad scientiarum institutionem, ipsa experientia nimium sæpe nos docet. Nam quemadmodum res familiaris diligenti œconomia instituta gliscit, turpi confusione omne incrementum facile intercipitur: ita in scientiis, quarum confuse & permixte doctrina proponitur, minus proficitur discendo, at si contra legitime omnia dirigantur ac dispensentur, uberores longe laborum fructus proveniunt. Quantum enim ad perspicuitatem, quæ prima est in omnibus disciplinis virtus, ordinis studio conferatur, id non solum tirones experiuntur, quibus in percipiendis rebus sæpe lucem omnem eripit confusio, sed etiam doctores, qui in digerenda rudi mole ac decenti habitu induenda occupati, dum apta ac distributa tractatione melius docere student, ipsi planius ac melius permulta discunt.

Cer-

Certum etiam est, ingenii & iudicii maximum administrum esse ordinem. Nam si res ex turba extractæ in certa genera dispescantur, & principiis recte constitutis aliæ ex aliis continua ferie nectantur, promptius omnia possunt circumspici, & quid in iis usquequaque optimum ac verissimum sit, magis dilucide ac solide dignosci potest. Est imprimis in ordine subsidium memoriæ, quo præstabilius non invenitur: quæ facultas animi eo magis colenda & vegeta servanda est, quo major est rerum ab illa custodiendarum copia, & quo minus quisquam ingenio & iudicio valere potest, nisi horum utrumque memoriæ ubertate adjuvetur. Nemo enim temere in ullo argumento egregii quidquam poterit invenire, nisi jam in memoria omnis generis velut suppellectilem conditam servaverit: neque de rebus propositis ex causis illarum iisque, quæ juncta sunt & consequuntur, judicare explore atque integre poterit, nisi ea cuncta suppeditentur & quasi in conspectu ponantur a memoria, sine qua, non modo doctrinæ, sed etiam praxeos atque experientia, quæ maxime firmat iudicium, omnis fructus interit. Ordine efficitur, ut omnia brevius & nervosius comprehendantur, ut fastidium legentium atque audientium leveatur, utque ita facili opera eo perveniatur, quo alii turbate & incomposite euntes vix multo labore tandem pertingunt. Cumque nihil sit in rebus ordine pulchrius, sermoni ille plurimum ornatus & gratiæ conciliat: &, ut Justiniani Imperatoris dictum usurpem, perperam effuseque posita, si belle disponantur, aliæ propemodum res apparent. Vis etiam roburque in persuadendo hoc modo mirifice augetur. Nam quæ discrete atque apte posita sunt, attentius considerantur ab audientibus, eosque delectatione quadam ad fidem habendam abripiunt: argumenta quoque, si delectu habito justam in aciem collocata fuerint, multo valentiora insurgunt, & in animos majori impetu penetrant. Denique hac ratione paratur facultas eruditionem omnem in rebus agendis expeditius & rectius adhibendi: si nempe quidquid scitu necessarium atque utile est, ita ordinemus, ut in promptu habeamus certos locos & quasi scrinia, ubi quodlibet reponamus, repositumque, cum deinceps eo indigerimus, nullo negotio reperiamus atque ad usum rerum promamus.

Patet, in jurisprudentia etiam, quo diffusior est illius disciplina, eo magis necessarium esse ordinem: utinam non hujus, quanta est necessitas, tantus fere neglectus esset. Voluit quidem Justinianus, ut in proëmio Institutionum dicitur, illa, quæ confusa erant, in luculentam quandam harmoniam erigi. Verum non ubique consilio respondit eventus, & multum passim de pristina confusione remansit: ex quo tot incommoda non modo in scholas, sed, quod pauci animadvertere solent, in ipsum etiam forum redundarunt, ut hæc ordinis & quasi economiæ perturbatio in gravissimis causis corruptæ jurisprudentiæ habenda videatur. Quare, AUDITORES, dum munus interpretandarum Institutionum Justinianearum ab Augustissimo Rege nostro mihi clementissime collatum capeffo, quod felix & huic Academiæ fortunatum esse velit Deus, non alienum ab officio meo futurum existimo, si de juris economiæ paulo explanatius agam: quod me facturum ut benevole audiat, ea, qua par est, animi veneratione atque humanitate rogo. Etsi orationis elegantia, quam servare mihi lectioni Jctorum Pragmaticorum per multos annos maxime assueto difficile est, placere vobis non potero, illud tamen me effecturum promitto, ne verbosiore sermone displiceam.

Principio certo asseverare possum, non id mihi constitutum esse, ut vel gloriæ Justiniani Imperatoris, cujus reverenda & sancta mihi semper est majestas, vel promeritæ a compilatoribus laudi quidquam detractum velim. Nam & illum ordinis fuisse perquam amantem, vel ex toto hoc veteris juris enucleandi componendique consilio satis patet: & ab his plus esse præstitum, quam in tanta desperati operis festinatione alii plerique præstitierint, ego quidem plane sum persuasus. Sed præcipitata sic opera, partum non ita maturum ac perfectum, uti optandum erat, in lucem prodiiisse, id, quamvis grave mihi sit fateri, manifestius tamen est, quam ut quisquam diffiteri ullo modo possit. Quod enim ad morbum attinet, de quo nunc sermo est, Romani definitiones, quæ sunt fundamenta ordinis in omni institutione, quæ a ratione proficiscitur, recte constituere frequenter neglexerunt. Hoc vel initium Institutionum evolventibus constare potest ex jurisprudentiæ & libertatis definitionibus, quarum illa ad Theologiam & Philosophiam, hæc ad

ad ipsam, quæ libertati opponitur, servitutem trahi sine ulla violentia potest. Divisiones, quibus ordo universus continetur, sæpe multis nævis laborant. Prima certe & generalis divisio totius operis Institutionum, qua omnia ad personas, res & actiones tanquam ad capita revocantur, disciplinam nostram mirifice turbat & multis locis quasi discerpit, cum in plerisque quæstionibus hæc tria arctissimo vinculo jungantur. Neque cum tricipite hac forma conspirat numerus librorum, quos illa invita quatuor esse voluerunt. Titulos quosdam commenti sunt, qui plane proferri debebant, quo inter alios pertinet titulus de his, qui notantur infamia. Agi potius de hac generatim debebat sub titulo de pœnis, & singillatim ibi, ubi de singulis delictis famosis constituitur. Si vero titulos hujus generis dissertationi Academicæ quam systemati aptiores inferere placebat, non video, cur omisi fuerint tituli de his, qui multa pecuniaria, verberibus, exilio, morte coercerentur. Nexus multorum titulorum violentia non vacat, interdum plane nullus est. Ita enim hunc ipsum titulum de his, qui notantur infamia, subjecerunt titulo de postulando, quia infames postulare prohibentur: qua quidem ratione post titulos de fenatoribus aut testibus vel alio conjici æque congruenter poterat. Titulum de his, qui arbitrium receperunt, sequitur alius, nautæ, caupones & stabularii ut recepta restituant: id quod est lusu quodam vocabula sociare, res ipsas divellere. Non pauca vero sunt res ejusdem generis, quæ passim scissæ scoparum dissolutarum instar jacent: atque in primis tituli de re judicaria & de hereditatibus per varios libros disturbati & disjecti sunt. Leges multæ ex genuinis & propriis sedibus coactæ sunt sub alienos titulos, ubi fortassis nemo unquam eas quærsturum erat. Generalia præcepta, quæ uno loco sub initium cujusque argumenti tradere conveniebat, imo multa etiam vel maxime specialia pluribus locis repetuntur: cujus rei exempla quilibet, qui notas Dionysii Gothofredi conferre voluerit, in maxima legum parte inveniet. Est enim hic fructus tumultuariæ tractationis lectoribus maxime molestus, quod in crebras rerum earundem repetitiones incidere oporteat. Nonnulli tituli immoderata quadam amplitudine excurrunt, & unicum de legatis integri tres Digestorum libri præferunt, qui

in plures titulos speciales diduci & poterant & secundum regulas bonæ institutionis debebant. Nam sapius incipiendo, sapius desinendo reficiuntur lectores, & lecta firmius in memoria insident, & ab evolvantibus, si plura & signata fuerint spatia, minore molestia reperiuntur. Alibi, in Codice præcipue, tituli passim sine causa multiplicati & brevissimi sunt: id quod itidem præceptis ordinis repugnat. Ita enim in eandem confusionem delabimur, cui mederi partitio debebat: cum conturbari & permisceri necesse sit, quidquid subtiliter nimis, nec jam in partes divisum, sed in pulverem comminutum est. Aliqua, quæ nec ipso Justiniani ævo usum habebant, compilatores inseruerunt, alia, quæ rarioris usus erant, fuscè persecuti sunt, in Institutionibus vero multa perutilia aut omiserunt penitus aut strictim & quasi in transitu tetigerunt.

Quantis hæc omnia difficultatibus doctrinam juris implicant, magno sæpe impedimento ac tædio suo sentiunt tirones, & judicare de eo unusquisque facile potest. Illud vero magis etiam incommode accidit, quod non intra scholas hæc confusio se contineat, sed late in actiones civium & in forum usque dimanet. Fieri enim in tanta operis non bene dispensati mole non potuit, ut pares ubique sibi essent compilatores, sed necesse fuit, ut identidem sui obliviscerentur, atque etiam si evitarent manifestas antilogias, quas certe non ubique evitarunt, tamen iis multæ constitutiones male conspirantes non animadvertentibus exciderent. Quæ de re tota si vel unicum exemplum contractuum protulero, veritas ejus, quod dixi, nemini, puto, dubia videri poterit. Quoniam enim Jcti Romani genera contractuum non ita, ut fieri decebat, ad capita sua rerulerunt atque inter se contulerunt, sed conjuncta diremerunt & univerunt divisa, factum est, ut neque similibus contractibus similia jura neque dissimilibus dissimilia semper tribuerent. Ita etsi mandatum & depositum tam parum diverſitatis habent, ut sæpe dignosci non possit, utrum ex iis fuerit datum, in illo tamen minimam, in hoc maximam diligentiam, & in gestione negotiorum, quæ ad mandatum diligentiam accedit, mediam requirunt. Permutationem & emtionem venditionem, quas discernere itidem sæpe difficillimum est, longe inter se disjungunt, atque hanc quidem solo consensu, illam

illam vero non nisi traditione perfici volunt: quod sane nihil aliud est, quam nimium distinguendo facere, ut jura tricis implicentur. E contrario quanquam contractus mixti multum differunt a simplicibus, tamen eos interdum minime distinguunt, & exempli causa, si quis cum aurifice convenerit, ut hic ex auro suo annulos ei faceret, qui est contractus ex emtione & conductione compositus, solo emtionis jure negotium hoc omne metiuntur. Similiter iisdem delictis non eadem pœna, diversissimis eadem imponitur. Dolus in quibusdam tantum negotiis famosa doli actione vindicatur, in aliis, licet ille æque gravis aut gravior etiam fuerit, nulla infamia reo est metuenda. Contra in crimine raptus diversa rei momenta minime perpenduntur: sed illud tum etiam, cum secundum æquitatem vix stupri instar puniri debebat, instar homicidii punitur. Si quis igitur virgini persuaserit, ut stupri causa ex domo parentum in alium locum sola se conferret, ibique eam non multum reluctantem compresserit, pœna quidem non admodum gravis irrogatur. At si eam vel ardentissime volentem in locum alium abduxerit, etiam si concubitus non sit infecutus, ultimo tamen supplicio reus damnari debet. Et merito eum damnari lex Codicis Romani de raptu virginum ait, cum nec ab homicidii crimine raptor sit vacuus: quæ utique non juridica est ratio, sed rhetorica, rei tam feræ parum apta. Enimvero hæc omnia vel maxime repugnant naturæ, quæ proportionem servari jubet, & ut res quæque inter se comparatæ aut pares sunt aut impares, ita in iis jura aut paria aut imparia desiderat. Neque quidquam est, quod magis impediatur obsequium legibus præstandum, quam hæ ipsæ finium perturbationes, dum id, quod natura separatum est, conjungitur, & conjunctum separatur. Necessè enim est, ut sapissime cives in tanta confusione, quid faciendum sit, ignorant, legibus, tanquam retibus pices, capiantur, utque infinitæ occasiones litigandi & veritatem ac justitiam intervertendi & omnia miscendi pessimis hominibus præbeantur.

Tantis incommodis remedium querendum est, & inveniendâ ratio, qua ad meliorem, & quæ sibi constet, economiam perveniatur. Equidem fateor, Principibus illam datam esse curam, ut proportio & ordo in ipsis legibus & in justitia ad-

mini-

ministranda emendetur, nec decere doctores in scholis rebus hujus generis juventutem turbare ac remorari, quamvis aliis datis occasionibus justa desideria sua exponere nulla lege prohibeantur. At quod ad ordinem doctrinæ attinet, permillum puto doctoribus ab eo, quem Tribonianus servavit, defletere, aliumque, qui melior videatur, sequi. Neque me terret autoritas quorundam clarissimorum Jctorum, inter quos Jacobus Gothofredus pestilens institutum vocat, si quis novas methodos commiscatur. Antiquitatis studio, quo viri isti insignem laudem consecuti, factum est, ut iis, nisi quod Romanum esset, probaretur nihil. Diversum senserunt multi alii non minoris autoritatis doctores, qui ut serie magis concinna jus civile instrueretur, cum suaserunt aliis, tum ipsi efficere studuerunt. Negari tamen non potest, complures esse novorum systematum architectos, qui satis quidem mutarunt ordinem, sed quod subinde nimium metaphysicæ subtilitatis ad hoc negotium afferrent, non multum emendarunt, aliquando etiam magis perturbarunt. Ut autem jurisprudentia nostra in formam artis composita novo cultu prodeat, remoto, quantum fieri potest, adsciticio illo artificio, natura, optima magistra, sollicitè sequenda est. Nam ut quodque a simplicitate naturæ proxime abest, eique maxime congruenter est effectum, ita optimum est, artisque nomen demum jure suo meretur.

Verum simplicitatem hanc naturæ imitando assequi & secundum illam jus omne ex inordinato in ordinem adducere, res est non exiguæ difficultatis, neque unius mensis opus, intra quod tempus Institutiones nostras absolutas esse novimus. Neque enim ut Epicureorum atomi, ita juris articuli insito quodam motu in suum quisque locum feruntur: sed in tanta rerum varietate ac turba sæpe stylus est vertendus, & quæ certo loco posita ac sæpius transposita erant, de novo sunt transponenda. Ante omnia constituendæ sunt & extra dubitationem ponendæ regulæ quædam, quas ante oculos habeat, quicumque operam talem in se susceperit. Has vero singulas aut tradere aut ab aliis traditas expendere, uti non hujus est loci: ita illud silentio non prateribo, Jctos Romanos veteres ea in re numerorum rationem habuisse, in quo eos Pythagoræ doctrinam ab aliis etiam Philosophorum sectis probatam ac propagatam secutos esse, vix dubi-

dubitandum videtur. Ipse Justinianus in duabus postremis constitutionibus de veteri jure enucleando ait, libros Pandectarum non perperam & sine ratione in septem partes esse dispositos: respexisse enim se ad numerorum naturam atque harmoniam, & consentaneam eis divisionem partium confecisse. Et ex præfatione Institutionum nostrarum non obscure apparet, in his quoque numerum quaternarium librorum ob similem rationem fuisse adscitum. Semper mihi notatu digna visa sunt hæc de numerorum natura & harmonia veterum Philosophorum & Jctorum placita. Quanquam vero multi sunt, qui ea ludibrio habent & ineptæ superstitionis inculant, ego tamen non penitus esse improbanda, & eorum in instituenda juris atque aliarum doctrinarum æconomia non contemnendum usum esse, breviter, sed, uti spero, quantum satis erit, ostendam. Qua in re si magis Pythagorice, quam jurisprudentiæ doctorem deceuerit, versari vobis videar, AUDITORES, ignoscite quæso venerationi atque amori, quo erga Jctos Romanos ab initio studii mei juridici captus partes eorum multo libentius sequor, quam, quod supra a me fieri ratio instituti postulavit, impugno. Sinite me in hæc litterarum ac philosophiæ amœna tantisper divertere, ut & ipse hac delectatione fruatur, neque vobis artis nostræ difficultatibus & nævis diutius obstrepere ac molestus esse cogar.

Primum cum ipse Deus mensura & numero omnia fecerit, necesse est, ut non modo in rebus naturalibus, sed in iis etiam, ubi ars naturam imitatur, ad mensuram & numerum respici oporteat. Deinde inprimis in ordinandis disciplinis rationi adversum videri nequit, numerorum harmoniæ cum Justiniano nostro aliquid tribuere: nam ordo omnis, qui est partium congruens distributio & compositio numeris utique continetur, nec, nisi numerando, adhiberi potest. Neque denique mihi constat de alia meliore via, qua tandem doctrina confusa ad formam aliquam artis tolerabilem exsurgat. Persuasus vero sum & sine ulla superstitione asseri posse puto, in numero quaternario, quem in libris Institutionum Justinianearum servatum videmus, latere revera quidpiam, quo nihil posset esse scientiis omnibus & ipsi naturæ accommodatus. Cum enim in tradendis

B

disci-

disciplinis primum cuncta ad unitatem revocare deceat, ut certo constet, quid sit illud, de quo agendum sit: optimum videtur, ubi deinde in multitudinem rerum progressus fit, ut unum illud in duos quasi ramos æquales porrigatur, quorum utroque simili ratione diviso, efficitur illa tetractys, quæ est in digerendis disciplinis commodissima omnium divisio, cujus omnia membra æque late patent & æque sibi sunt opposita, in qua neque deest quidquam, neque quidquam superfluit. Si res postulet, eodem modo plura membra dispersienda sunt, ex quibus reliqua omnia continentur, atque inter se perpetuo nexu aptentur & quasi contendantur. Ex qua omni multitudine, totum in duas partes, hasque iterum in duas alias dividendo atque ita continuando, eadem semper proportione servata, ad paucitatem & unum usque retrogredi licet: id quod nulli alii numero præter quaternarium aliosque, qui ex repetita aliquoties duplicatione nati semper in quatuor æqualiter dividi possunt, commune esse, nemo est, qui non videat. Singularis utilitas, quam numerus ille in artibus præstat, effecit, ut Ægyptii eum Mercurio, artium Deo, dicarent. Pythagoras multa de mysterio tetractyos philosophatus est, & discipuli illius per Deum juraturi jurabant per illum, qui animis nostris tetractyn impertivit, atque in hoc numero radices omnis naturæ inesse statuebant. Aristoteles, Philosophus nimio & superiorum seculorum cultu & nostri contemptu indignus, in doctrina sua omne fere unum in duo, duo in quatuor divisit. Majores etiam nostri hanc numerandi rationem ad varios usus elegerunt, ut patet exemplo partium societatis metallicæ, quarum centum & duodetriginta habentur, item libræ, cujus plerumque duæ & triginta partes numerantur: quæ divisio sectionem Romanam assis in duodecim uncias commoditate & continua æqualitate multum superat.


His, quæ dicta sunt, adversari videbitur illud, quod a Virgilio aliisque dicitur, Deum impare numero gaudere. Sed pro-verbium hoc, quod ad numerum ternarium & septenarium imprimis pertinere constat, cum iis, quæ de quaternario dicta sunt, sapissime conciliari potest. Nam si unum illud, ex quo tanquam fonte duo & inde quatuor derivanda esse ostendi, cum numeris his jungatur, primum tria efficiuntur, deinde septem: qui
nume-

numeri ambo testimoniis & Auctorum sacri codicis & Philosophorum & ipsius vulgi sunt ab omni tempore nobilitati sacrique inter cunctas fere gentes habiti. Plerumque autem ubi tripartitam vel aliam imparis numeri rationem sequimur, aut deest membrum quoddam, aut abundat, aut posita specie una superiore adduntur duæ species alteri speciei superiori subjectæ: quod postremum tamen non semper est in vitio ponendum, cum subinde inter duas species oppositas altera quidem habeat duas alias species inferiores, altera non habeat. Neque Philosophi veteres, cum numeri quaternarii præstantiam laudant, id volunt, ut sint in omnibus omnia quatuor, & ut magister superstitione numerorum contra rationem argumenti trahatur: sed numeri accommodari naturæ rerum debent, minime natura numeris. Vix quisquam est, qui risu se abstineat, cum a Pontifice Romano nuptias ad gradum quartum consanguinitatis & affinitatis prohibitas legit, addita ratione, quia quatuor sunt humores corporis humani, qui constant ex totidem elementis. Ita incongrue argumentationes fieri necesse est, ubi primum cogitatione eligitur numerus, ad quem violenter deinceps res ipsa dispertitur. Sique hac numerorum philosophia uti licet, fiet, ut legislatori civili nunquam deesse possit ratio, quare certum numerum non alium constituat. Illud tamen ego sentio, & res ipsa convincet illos, qui ejus experimentum facere voluerint, habita ratione numeri quaternarii economiæ & juris & aliarum disciplinarum fere omnium melius consultum iri, quam fieri plerumque animadvertimus. Sperandum vero est, uti in ædificiis struendis seculi nostri gustus veterem confusionem & barbariem respuat, ita fore, ut in aliis etiam optimis scientiis proportio atque ordo, cui obtinendo in his non secus atque in illis quadrata forma præter ceteris est idonea, magis in dies regnet, & decus juxta atque utilitas augeatur.

Vereor, AUDITORES, qui tam multa de proportionem atque ordine servando disserui, ne ipse proportionem orationi meæ præscriptam neglexisse vobis videar. Finis igitur faciendus est: quem dum facio, in mentem venit vanitatis rerum humanarum omnium, cujus semper nos meminisse in actionibus nostris decet. Late illa etiam in hac jurisprudentiæ disciplina regnat, in qua

tuncunque evidentia studeamus, in errorem, & optima metho-
do in confusionem saepe inducimur, cum in multis quaestionibus
maximi momenti vix major certitudo sit, quam si tesseris luda-
tur. In hac scientiarum & rerum omnium humanarum *μετεια*,
quam Paulus Apostolus appellat, hominis Christiani est, assidue
se ad Deum optimum maximum convertere, ad quem nunc ego
quoque me convertens piis precibus eum imploro, velit mea &
futurorum Auditorum meorum studia ita moderari, ut non so-
lum id, quod in foro humano justum est, cognoscamus, cogni-
tumque religiose ubique observemus, sed etiam, quod caput est,
justitiam, qua fori Divini est atque aeternam nobis felicitatem
pariet, assequamur. Augustissimum Regem nostrum & univer-
sam Regiam Domum clementissime tueatur, & omni maximo-
rum bonorum genere largissime cumulet. Faxit, ut tot spatio-
sissimae terrae, quae sceptro Regio Borusico gubernantur, armis
decoratae & legibus armatae diuturna pace, quae est rerum omni-
um optima, fruantur. Servet illustrem hanc Academiam cum
omnibus membris ejus, & faxit, ut novis in dies incremen-
tis aucta latius efflorescat, & mox ad pristinam
felicitatem ac splendorem exurgat.

D I X I



65717

AB: 65717

X 2290245

VD 17






JOHANNIS WOLFGANGI TRIER
DE
OECONOMIA JURIS
ORATIO,

HABITA,
CUM MUNUS INTERPRETANDARUM INSTITU-
TIONUM JURIS

IN ACADEMIA VIADRINA
ORDIRETUR,

D. XIV. JULII MDCCXXIV.



FRANCOFURTI AD VIADRUM,
Litteris JOH. CHRISTOPHORI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.